


05

A

201





39

I. N. J.

DISSERTATIO THEOLOGICA
ANTI-CALVINIANA

De

JUSTIFICATIONE

CUM PRIMIS DE FOEDE
RE DEI,

Quam

Σὺν τῷ Θεῷ παλάμα

PRÆSIDE

VIRO

MAXIME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO
etq; EXCELLENTISSIMO

DNO. JOHANNNE *Deutschmann*

Doctore Theologo consummatissimo, deq; Orthodox
Ecclesia longè meritissimo, in alma Leucorea Professore Publ. longè
celeberrimo, Alumnorum Electoralium EPHORO gravissimo,

DNO. Præceptore, Patrono ac Promotore suo sanctè eter-
numq; devenerando,

Publico eruditorum examini

proponit

CHRISTOPHORUS *WEGGER*

VViennâ Austrius.

A. Æ. C. cl^o l^o LXXI. d. XV. Novembr.

Hora locoq; consuetis.

WITTEBERGÆ, Literis MICHAELIS MEYERI.



VIRIS
MAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS, NOBILIS-
SIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSI-
MIS, PRUDENTISSIMIS,
DOMINO
HANSGRAFIO,
CONSULIBUS,
SENATORIBUS,
ac
SYNDICIS,
Florentissimæ Imperialis Reipublicæ,
quæ est
RATISBONÆ,

DNIS. Mæcenatibus, Patronis, Promotoribus ac Fautoribus
Optimis Maximis

Dum res & ætas, & Sororum
Fila trium patiuntur atra,
devotissime suscipiendis,

Exercitationem hanc Theologicam in gra-
tæ mentis testimonium

D. D. D.

humillimus Client

CHRISTOPH Weiffel/ SS. Theol.
& Phil. Cultor



05 A 207



QVÆSTIONES ANTI-CALVINIANÆ

EX ARTICULO IV.

AUGUSTANÆ CONFESSIONIS

DE

JUSTIFICATIONE, CUM-
PRIMIS DE FOEDERE DEI.

QVÆSTIO PRIMA.

*An fœdus ab initio mundi cum omnibus fuerit sancitum,
an tantum cum quibusdam?*

I.

Circa statum controversiæ nonnulla præsupponenda, nonnulla verò seponenda veniunt. Quod attinet illa, præsupponimus ea, quæ sunt inter Nos & Calvinianos extra controversiam posita, nim. (1) quod detur aliquod certum inter DEUM & homines fœdus. (2) quod fœdus illud non ab homine, sed à DEO tantum active sit profectum, cum in se peccator nec ullum viderit motivum, quo DEUM ad fœdus ejusmodi commovere, nec ullum apud se deprehenderit medium, quo fœdus illud vel intendere, vel obtinere, vel efficere potuerit. (3) Quod fœdus illud merè sit gratuitum, adeoque sapientiæ divinæ sit inventum, gratiæ solius intentum, & admirandæ potentiæ divinæ effectum. (4) quod fœdus illud nec in natura sit manifestatum, nec per naturam sit cognitum, sed solum verbi DEI mysterium. (5) quod ex verbo DEI de fœdere gratiæ sit judicandum. Hæc & alia Calviniani nobiscum communia docent.

2. Quod autem hæc concernit, quæ seponenda sunt, observandum, quod hic (1) ratione rei non quærat de fœdere quodã orto, sed de primo, quia de causa fœderis ab initio mundi sanciti mentio fit: notam enim est, quod Deus etiam cum Nocho Gen. IX. 11. cum Abrahamo Gen. XVII. 2. pepigerit, & in N. T. novum fœdus

A

pro-

DE JUSTIFICATIONE

promiserit *Jer. XXXI 31.* nec quæritur de *fœderis circumstantiis*, quæ diversæ diversis temporibus extiterunt, sed de *fœderis substantia*, cum circa *fœdus ipsum* quæstio versetur: nec de *fœderis Symbolis*, quæ valia fuerunt *U. & N. T. sacramenta*, sed de *fœderis causis* potissimum solliciti sumus, quæ *fœdus ipsum* constituunt. (2) *ratione objecti* non quæritur de *objectorum*, vel *certitudine*, vel *habitudine*, sed de *eius amplitudine*, num *omnibus* hominibus, vel saltem *aliquibus*, fœdus illud contigerit. (3) *ratione modi*, non quæritur hic de *statu*, vel *modo fœderis*, num illud *absolutum*, num *ordinatum* fuerit? licet hoc etiam inter *Nos & Calvinianos* controversum sit, tamen alius potius, quam hujus, illud est quæstionis. (4) *Ratione Scopi*, non quæritur, num ita *DEus* cum omnibus hominibus fœdus sanciverit, ut etiam omnibus bona fœderis conferre simpliciter intenderit? quia neutiqvam hoc à nobis asseritur. (5) *ratione effecti* non est in quæstione, num ita *DEus* cum omnibus fœdus illud fecerit, ut fœderis fructum simpliciter in omnibus effecerit? quia nec hoc ab orthodoxis approbatur. (6) *ratione eventus*, neutiqvam est in quæstione, num ita gratiæ fœdus à *DEO* cum omnibus sit initum, ut etiam eventus salutis & æternæ glorificationis in omnibus fœderi corresponderit? siquidem nemo *Lutheranorum* asserit, quod omnes homines actu salventur. (7) *ratione status*, quod non quærat, num *DEus explicite* cum omnibus hominibus, *actu positus*, gratiæ fœdus sanciverit? certum enim est, omnes ab initio mundi homines non extitisse, sed temporum atq; seculorum successu suum ortum accepisse, adeoq; nec *Deus* cum omnibus hominibus *explicite* fœdus inire potuit. (8) Sed quæritur *simpliciter*, vel *generaliter*, de *objecti latitudine*, Annon *DEus ita* cum *protoplastis* gratiæ fœdus sanciverit, ut illud simul ad omnes ipsorum posteros, non autem tantum ad aliquos, videl. ad *Electos*, quoad ipsam confœderationem, pertinuerit? Et hoc est, quod *Nos* affirmamus, *Calvinianis* passim negativam asserentibus & defendentibus.

3. Hac vice *D. Johannem Maccovium* in *Polem. Theol. c. 13. p. 84. 85.* de hac quæstione differentem audiemus, & ejus argumenta breviter expendemus. Proponit is quæstionem his verbis?

bis?

CUM PRIMIS DE FOEDERE DEI

bis? An fœdus ab initio mundi cum omnibus fuerit sancitum, an tantum cum quibusdam? respondet ipse: Posterius affirmatur. Ergo prius negatur.

4. Probat suam sententiam (1) DEUS nunquam fœdus inicit cum toto genere humano: quod hinc patet: quia distingvit scriptura inter filios Seth & Cain, & dicit, invocatum nomen DEI à filio Seth, non Cain Gen. 4. 26 Inter quos enim non invocatur nomen DEI, non sunt fœderati. At inter Cainitas &c. R. (1) negare, non est probare. (2) quia Calviniani communiter inter Electos & reprobos distinguunt, illis tribuunt, his adimunt DEI fœdus, proinde sequeretur nec DEUM cum Noacho, nec cum Abrahamo, nec cum aliis fœdus contraxisse, cum inter omnes horum posteros, vel socios reperiantur tales, qui DEI nomen non invocant. (3) Si Israelitæ vere DEI fœderati fuerunt, licet nec ab omnibus, nec in omnibus Palestine locis, nec in omnibus Israëlitarum cætibus, nec omnibus temporibus, DEI nomen invocatum sit, ita nihil obstat, quo minus recte dicatur DEUS cum toto genere humano fœdus iniisse, licet à Cainitis DEI nomen invocatum non sit. (4) Dist. inter jus & factum: de jure Cainitæ quoque DEI nomen invocare debuissent, licet illud de facto non observarint. (5) Unius positio non est alterius remotio: licet de filiis Sethi diceretur, ab iis invocatum esse DEI nomen, de Cainitis tamen in universum illud propterea non negaretur: nec à non exclusivam licet ad exclusivam argumentari, sicut notum. (6) Gen. IV. 26. saltem dicitur, quod tempore nati Enos cæptum sit invocari nomen Domini, sed hæc invocatio Numinis nec ad solos filios Sethi restringitur, nec omnibus filiis Sethi tribuitur, nec universis Caini posteris adimitur.

5. Exceptionem addit ex mente Arminianorum: Tunc quidem non fuisse invocatum nomen DEI in familia Cainitica, sed demum cæpit invocari. Respondet D. Maccovius: At locus clarior, quam ut eludi possit: non enim aliter intelligi potest, quam in familia Sethi cæptum invocari nomen DEI. R. (1) nos Arminianorum, qui de cultu DEI quoque, sicut & de fœdere DEI cum hominibus, non paucos, nec parvos errores fovent, causam agere nolumus, per

DE JUSTIFICATIONE,

latus tamen *Arminianorum Reformati* communiter etiam *Lutheranos* pungunt, adeoque merito nos universalitatem fœderis defendimus. (2) Si tunc demum in familia Sethi cœptum esset invocari nomen Domini, nec Abel, nec Adam & Eva, nec Seth, ante nativitatem Enos, Dominum invocassent, quod nunquam de tam illustribus fidelibus *Reformati* concedent. (3) *Dist. inter cultum publicum & privatum: Simplicissime*, scribit B. Gerhard. *Comment. in h. l. exponitur de publica nominis divini, id est, sincere, de DEI essentia & voluntate, doctrinæ prædicatione, à Cainitis per violentas persecutiones ad tempus impedita, sed tempore Enos divino beneficio instaurata. Tunc ceperunt instaurare publicos conventus, in quibus nomen DEI prædicabant, sacrificabant, orabant &c. Tum temporis ita distincti fuere cœtus religionis causa, ut etiam nomine distincto significarentur. Tunc externo cultu distincta fuit Ecclesia à reliquis hominibus, quod in ea peculiariter invocaretur nomen Domini. Hoc multi quoque Reformatorum volunt. Sic enim Chamier panstrat. tom. 1. l. 14. c. 12. §. 10. & tom 3. lib. 20. c. 22. §. 8. Tunc ceperunt se denominare à nomine Domini, ut esset discrimen inter impios & populum DEI, numerus piorum, è Serho progenitorum, sic excrevit, ut certa quadam appellatione se prorsus à Cainitis impiis discernere, dum se cultores Jehovæ vocabant, & sic Jehovæ nomen invocabant.*

6. (II) *Gen. VI. Spiritus Sanctus distinguit filios hominum à filiis DEI, cujus discriminis nulla alia ratio dari potest, nisi quod hi fuerint fœderati cum Deo, illi verò non item.* R. (1) qui per filios DEI, perq; filios hominum intelligantur, de eo mira reperitur apud Interpretes varietas: vix autem unus Interpretum eo directe respicit, ut cum *Maccovio* hic per filios DEI fœderatos, & per filios hominum non fœderatos intelligat. Evolvat aliquis *Reformatæ religionis Interpretes*, & dicti veritatem deprehendet. Et tamen audacter adeo definire, vel pronunciare D. *Maccovius* audet, quod nulla alia ratio dari possit, cum eam Interpretum nemo, vel rarissimus eorum attenderit. (2) Nihil minus in filiis Elohim hic juxta textum *Mosis* invenitur, quam quod fœderati fuerint, cum nihil fidei, nihilq; pietatis, sed multum hypocryseos, im-

pieta-

CUM PRIMIS DE FOEDERE DEI.

pietatis, impunitatis & malitiæ de iis referatur, an tales DEI foederatos D. Maccovius judicabit? Scriptura tales actu foederatos DEI nescit, licet de jure tales esse debeant. (4) Cur filios hominum magis, quam filios Elohim à DEI foedere prorsus alienos esse statuat, ejus rei nullam affert rationem: à Mose certe describuntur, ut ejusdem peccati, vel prævaricationis consortes: hominum autem impietas, vel incredulitas foederis DEI veritatem evacuare non potest Rom. III. 3. Maccovianum somnium non est divinæ foederationis fundamentum, vel argumentum.

7. Exceptionem affert; Obscurum esse locum, & vix posse dici filios istos foederatos esse, cum foederati instituunt liberos suos bene, ut dicit Spiritus S. de Abrahamo; tum verò non erant bene instituti. Respondet D. Maccovius: Etiam fideles sæpe graviter impingere, ut in Eli summo Sacerdote patet 1. Sam. 3. 13. (2) posse dici: istos filios DEI, quoad externam fidei professionem, non quoad internam foederis communionem. R. (1) Ipsi Reformatorum Interpretes fatentur, hunc locum obscurum esse. (2) Filios Elohim fideles, in sensu Reformato, fuisse, vix dici potest, cum fides Reformati sit donum inamissibile, sicut ipse Maccovius passim disputat, & hic in Polem. Theol. c. 18. q. 2. ubi negatur, quod fides deficere possit: jam autem de filiis Elohim hic talia scelera, talisq; DEI displicentia recensetur, ut inter alia propter filiorum Elohim scelera totum genus humanum diluvio perdere suscepit. (3) non tam inter Eli, quam filios Eli & filios Elohim hic analogia; sed inter Eli & filios Elohim potius dissonantia, quam convenientia, quia filii Elohim propria scelera tribuuntur, sed de Eli talia referuntur, quod potius de sceleribus aliorum communicando, quam scelera propria perpetrando peccaverit, ut patet ex 1. Sam. III. (4) in explicatione Sacrarum literarum non tam ad illud, quid possit dici, sed quid ad textum debeat dici, respiciendum est. (5) Si filii Elohim foederati sunt, vel olim fuerunt, sequitur, quod foedus aut retinuerint, aut in foedere nunquam fuerint, quia juxta questionem quartam hujus capituli D. Maccovius disputat, quod nemo DEI foedere excidere possit: At filii Elohim, gravissimis sceleribus indulgendo, neutiquam foederati DEI, sed potius foederati Dia-

DE JUSTIFICATIONE

boli fuerunt, nec unquam fœdere DEI exciderunt, cum nemo excidere fœdere DEI possit. Ergo nunquam fœderati DEI fuerunt. (6) Si filii Elohim, quoad externam fidei professionem, fuerunt fideles, sequitur etiam, quod inter hos & filios hominum nulla differentia hoc pacto reperiatur, cum externa quædam professio neque Cainitis, aut filiarum hominum illis temporibus simpliciter denegari possit, & sic filiarum hominum inter fœderatos referendæ veniant.

8. (III) Ubi DEus iniiit fœdus cum Abrahamo Gen. 17. Ergo cum quibusdam fœdus iniiit. R. (1) Committit fallaciam ignorationis Elenchi, dum quæstio loquitur de fœdere primo, ratio de fœdere quodam orto, quæstio loquitur verbis disertis de fœdere ab initio mundi sancito, ratio loquitur non de fœdere ab initio mundi sancito, sed certo tempore repetito, vel restricto. Sunt igitur scopæ dissolutæ. (2) Dist. inter fœdus Evangelicum & typicum, illud est universale, hoc particulare, illud omnium hominum, protoplastis promulgatum, & post Christi resurrectionem & ascensionem publicatum, hoc ad Abrahamum & ejus posteros limitatum: illud est rerum, hoc typorum, illud sine restrictione, hoc cum restrictione, cum fœdus Abrahami sit restrictum ratione populi, vel certæ gentis, respectu certi loci, vel terræ palæstinæ, respectu certi temporis, respectu certi symboli, vel Sacramenti circumcisionis, respectu certarum ceremoniarum, respectu certarum legum, respectu certarum promissionum, respectu certorum privilegiorum &c. quæ prolixè ex Gen. XVII. & aliis scripturæ locis demonstrari possent, si nostrum nunc esset, hoc institutum persequi. (3) Abraham vel consideratur in præputio, vel in circumcisione, prout docet ipse Spiritus S. Rom. IV. adeoq; sic est Pater omnium fidelium & exemplar etiam dicitur universale, non particulare: si omnes Abrahami filii spirituales esse, fidemque recipere voluissent, etiam in fœdere DEI cum Abrahamo sic acti fuissent, vel esse potuissent. (4) D. Maccovius vix omnes Abrahami posteros DEI fœderatos esse conceder, cum innumera prorsus inter eos multitudo reproborum, & sic Reformato sensu non fœderatorum extiterit.

9. Exceptionem quoq; producit: Fuisse alios extra Abrahamum

CUM PRIMIS DE FOEDERE DEI.

num, ut Melchisedech, Majores Iobi & Amicorum. Respondet D. Maccovius: Tandem illos defecisse, ut tempore Iudicum, Regum Israelitarum: familia vero Abrahamæ non defecit. (2) fœdus, quod pepigit cum Abrahamo, pertinet ad omnes fideles cujuscvis temporis & gentis Rom. 4. 11. R. (1) Si temporibus illis ante Abrahamum fœdus fuit universale, sequitur, quod aliis etiam temporibus, cum primis tale tempore N. T. dicendum: quia nullam hic differentiam D. Maccovius ostendere potuit. (2) Falsum, quod tempore Iudicum, vel etiam Regum, tales cessare debuerint, quia nullam causam hujus cessationis D. Maccovius dare potuit, cum Hiram, Naemann, Nabuchodonosor &c. ad agnitionem DEI pervenerint, neq; tamen particulare fœdus circumcisionis susceperint, quod dubio procul de multis aliis dicendum, cum primis autem post tempora Babylonicæ captivitatis & dispersionis Israelitarum, numerus profelytarum crevit. (3) quod familia Abrahami quoq; sæpius defecerit, illud scriptura testatur, frustra proinde D. Maccovius simpliciter id negat, quod Abrahami familia non defecerit. (4) Fœdus, quod DEUS cum Abrahamo pepigit, non est omnium gentium, sed tantum Iudæorum, prout multis argumentis illud ex Gen. XVII. & aliis locis plurimis demonstrari posset, neq; tam est internum, quam externum, non tam fidei, quam circumcisionis. Dist. autem inter fœderis statum & scopum, actum & fructum: scopus & fructus & circumcisis, & non circumcisis, contingere potuit, quemadmodum de Melchisedech, Iobo & aliis D. Maccovius concedere necessum habet.

10. Post horum argumentorum productionem D. Maccovius etiam objectionibus & instantiis satisfacere contendit. Object. (1) Promissio de semine benedicto omnibus facta est: Ergo cum omnibus fœdus initum, Minor. Genes. 3. Respondet D. Maccovius: Imò ex contextu contrarium patet, ubi dicitur, inimicitiam: postquam inter semen Sathane & semen hoc: per quod semen Sathane non intelliguntur, nisi mali homines. Vid. Iob. 8. 44. R. (1) Quilibet verborum suorum optimus Interpres: cum igitur hoc oraculum fœderale Gen. III. 15. Spiritus S. passim universaliter exposuerit, ut patet ex Gen. XII. XIII. XXII. XXVI. XXIX. &c. nostrum est, nullam
hic

DE JUSTIFICATIONE,

hic particularitatem, vel fingere, vel concedere. (2) Si verba ipsa consideramus, *semen mulieris conterer caput serpentis*, facile apprehenditur, quod ad totius serpentis capitis contritionem hac promissio luculenter extendatur, cum non *partem capitis*, sed *ipsum caput* contere dicatur: jam caput serpens erexerat super totum genus humanum, Ergo confœderatio, vel liberatio totum quoque genus humanum respiciebat. (3) Dist. inter *Sathana semen immediatum*, quod sunt alii Spiritus infernales, quos in peccati lapsusve societatem cacodæmon traxit, qui propterea *Angeli Diaboli* dicuntur Matt. XXV. & inter *semen mediatum*, quod sunt *mali homines*, de quo Christus Joh. IIX. 44. (4) Gen. III. nulli homines præter *Adamum & Evam* extiterunt, nec illum, nec hanc D. Maccovius, post Evangelicam promissionem, aut quoad Evangelicam confœderationem, ad *semen Diaboli* referre, vel fœdere DEI prorsus excludere poterit.

II. Addit huic objectioni quandam Instantiam: Atqui omnes nati sunt per *semen mulieris*, quomodo ergo per *semen Sathanae* homines intelliguntur. Respondet D. Maccovius, per *semen*, de quo agitur Gen. 3. intelligitur Christus καὶ ἐξ ὧν & primario, secundo & consequenter de fidelibus, ut probatur Galat. III. 16. R. (1) si quis Arminianorum hanc instantiam protulit, eam nostram non facimus: si D. Maccovius ipse confinxit eam, sibi sapiat, objiciat, & respondeat, nos illud parum curamus. (2) Videat verò, quomodo cum *Calvino*, ejusque *hyperassists* transigere velit, qui *semen mulieris* Gen. III. 15. *collective*, non *hypostatice* volunt intellectum. (3) Dist. inter *sensum & usum*, *explicationem & applicationem*: quoad *literalem sensum* Gen. III. 15. *semen mulieris* *μωυαδὶκῶς* & *ὑποστατικῶς* de Christo tantum intelligitur, prout ex Gal. III. 16. & aliis locis apertum: quoad *usum & applicationem* fideles etiam connotari, vel subordinari, facile concedimus. Unius dicti, vel unius verbi, quoad *sensum*, una tantum est significatio, vel explicatio, sicut unius rei tantum una forma dicitur, *usus* autem varius & multiplex.

12. Object. II. Gen. IX. 11. *Fœdus stabilitur cum Noacho & semine secuturo*: Ergo cum omnibus & singulis fœdus DEI fuit. Re-
spon-

CUM PRIMIS DE FOEDERE DEI.

Spondet D. Maccovius: *Fœdus illud determinatur, quale fuit scilicet de non immittendo amplius diluvio in terram, non vero fœdus de bonis spiritualibus, & vita æterna conferenda. Vide v. 11. & seqq. R.*
 (1) *Unius positio non est alterius remotio: dum enim fœdus hoc ad diluvii non immissionem explicite determinatur, ad alios fines relatio non negatur, cum arius rei plures fines esse possint. (2) Dist. inter determinationem in tantum, & in totum: licet ad diluvii non immissionem hoc fœdus suo modo determinetur, tamen ad eam non omni modo terminatur, fit igitur hoc non adæquate vel in totum, sed inadæquate vel in tantum. (3) Dist. inter determinationem principalem, & minus principalem: hæc determinatio minus principalis est, quæ cum brutis hominibus communis, sed principalis, quæ primum omnium attenditur, intenditur & introducitur, solos homines concernit: Unde verba *Ag. Jeluca* respectu hominum primum omnium notanda veniunt *ψ. 8. & 9. Hæc quoque dixit DEUS ad Noe, & ad filios ejus cum eo: Ecce Ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos: deinde sequitur: Et ad omnem animam viventem, quæ vobiscum est &c. nec facile dixerit D. Maccovius, quod in hoc fœdere nihil prorsus inveniatur, quam quod hominibus cum brutis est commune, cum certum sit, quod bruta promissionem & conservationem hanc acceperint propter homines, homines autem propter Messiam, & in eo suis sociis contradiceret.**

13. *Addit & hic D. Maccovius instantiam: Tamen tum temporis fuit spirituale: Ergo cum omnibus. Respondet ipse: Contrarium pater ex eodem capite v. 5. 6. R. (1) Si D. Maccovius Autorem adduxisset, qui has Objectiones & instantias urgeret, boni Disputatoris partes implevisset, & malitiosi Sophistæ suspitionem effugere potuisset, quia sic ex Autoris sensu, scopo, proponendi modo, vel aliis circumstantiis, rectius de illis judicari posset: nos enim fatemur, quod hoc fœdus simpliciter, vel omni modo spirituale non sit. (2) quod in & per se spirituale non est, illud nec respectu hujus, vel illius temporis fit spirituale. Tempus est circumstantia, quæ nullius rei mutat substantiam: adeoque quod hodie non est spirituale, illud nec tum temporis fuit spirituale: quo*

B

sen-

DE JUSTIFICATIONE,

sensu verò fœdus tum aliquid *spirituale* continuit atq; respexit, eo sensu dicitur & manet hodie *spirituale*.

14. *Object.* (III) *DEus omnium misereri voluit: Ergo cum omnibus fœdus inicit. Conseq. quia DEus dum promitteret semen benedictum, in hoc promittebat, ut hominem miserum erigeret, qui se & omnes posteros perdidit. At non erat consolatio illa futura solida, si non pro omnibus & singulis promitteret.* Respondet D. Maccovius: *præsupposita hypothese, quod fideles non acquiescant in voluntate DEI, etiamsi secus accidat, ac ipsi fieri vellent. Vide contrarium 1. Sam. 3. 18.* R. (1) certum est, quod DEus omnium misereri voluerit, quod passim testimonia scripturarum confirmant, ut alibi docetur. (2) certum est, quod DEus lapsum hominem erigere voluerit, cum & Adam, & omnes in eo posteri lapsi fuerint. (3) certum est, quod nihil solidæ consolationis inveniatur sub *particulari* vel *promissione*, vel *confœderatione*, vel *consolatione* (4) *Fideles non sunt absolutè fideles, sed ordinate; prius Maccovio sine scriptura, posterius nobis juxta scripturam placet.* (5) nos illam *hypothese* non præsupponimus, sed potius idem asserimus, quod in Dei voluntate fideles acquiescant, licet secus accidat, quam ipsi fieri velint, quod non tam *Eli*, quam *Davidis*, *Jobi*, *Jeremie*, & aliorum exempla testantur. (6) inepta videtur responsio, dum argumentum loquitur de fidei causis, nim. de *promissione*, *confœderatione*, vel *erectione* seu *consolatione* DEI, responsio loquitur de *fidei effectis*, quod fideles acquiescant in voluntate DEI, licet secus accidat, quam ipsi fieri volunt.

15. *Instantiam* subjicit: *Si non omnibus promissio facta, cur ergo Eva ita exultavit in partu Caini? cum potius tritari debuisset, satius enim fuisset, eum non nasci.* Respondet D. Maccovius: *Illam ignoravit, quis esset in singulari, quis non, ad quem pertinebat promissio: sed ex charitate bene sperabat, & sic gaudebat.* R. (1) *Gaudium Evæ non tam ob natum Cainum, quam ob Mesiam promissum, exortum, quia dicit: Habeo Virum Jehovam: adeoq; hanc instantiam nemo Lutheranorum objiciet Maccovio.* (2) *promissio seminis mulieris ad omnes pertinebat, quia tanquam universalis promissio promulgata fuerat.* (3) quod *Cain* etiam pro *fœderato* DEI habi-

CUM PRIMIS DE FOEDERE DEI

habitus sit, pater ex eo, quia membrum fuit Ecclesiae Adamicae, sacrificia DEO, cultus instar, obtulit, & in aliis quoque tanquam Ecclesiae civem se gessit, hinc ipse DEUS cum eo, tanquam confederato locutus est Gen. IV. 6.

QVÆSTIO SECUNDA.

An fœdus Evangelicum DEUS ita paciscitur cum fœderatis, ut etiam hoc ipsum, quod stipulatur, in iis efficiat?

1. Circa quæstionis sensum prius unum, vel alterum delibare placet, ut rectius ipsi termini cognoscantur (1) quod fœdus Evangelicum legali καὶ ἀποστολικῶν opponatur, nim. in negotio nostræ coram DEO iustificationis. (2) quod fœdus Evangelicum DEO tribuatur in solidum, tum quia est à DEO, tum quia manifestatur per DEI promissum, tum quia confertur per DEI verbum, tum quia semper est & manet in DEO, nosque miseros mortales DEI socios atque confederatos facit, tum quia solus DEUS hoc præstat, ut confederati fiamus, simus atque maneamus. (3) quod fœderati, nim. homines, in hoc fœdere sanciendo, vel recipiendo, se mere passive habeant. (4) quod efficientia Dei vel sit absoluta, vel ordinata, vel immediata, vel mediata, quod apprimè dicitur in hac controversia notandum.

2. Quod statum quæstionis attinet, non quæritur (1) An ad fœdus Evangelicum, vel confederationem cum DEO, homines aliquid conferre queant? Hoc enim prorsus foret Pelagianum. (2) An ad confederationem illam homines se præparare, vel aliquo modo disporre valeant? Hoc enim Papismum sapit, quem ab orthodoxia nostra prorsus alienum esse censemus. (3) An ad confederationem, vel in confederatione Dei, homines per se, vel ratione voluntatis suæ quicquam cooperari possint? Hic enim Synergistarum error est, qui per libros etiam Symbolicos à nobis improbatur. (4) An DEUS in nobis per verbum suum fœdus incipiat, & per idem verbum in nobis ea, quæ necessaria sunt ad fœdus, efficiat? Hæc enim ipsissima sententia Lutheranorum, adeoque neutiquam à nobis improbatur. (5) Sed potius juxta sententiam Reformatorum hoc in quæstione

DE JUSTIFICATIONE,

versatur, An fœdus Evangelicum nim. absolutum, Deus ita paciscatur cum absolute fœderatis, vel Electis, ut in nullis aliis, sed in his solis hoc ipsum, quod stipulatur, in ipsis absolute, vel etiam immediate efficiat? Et hoc est, quod nos inficiamur, sed Reformati partem affirmantem in hac quæstione tuerentur.

3. Testis ejus rei nobis est D. Iohannes Maccovius, Professor olim Franekeranus, l. d. q. 3. qui sequentem quæstionem proponit: An fœdus Evangelicum Deus ita paciscitur cum fœderatis, ut etiam hoc ipsum, quod stipulatur, in ipsis efficiat? & affirmative respondet. Si quæstio generaliter tantum ex terminis judicanda foret, minime contradicentes nos aliquis inveniret, prout ex thes. præc. num. 4. satis luculenter apparet. Verum cum mentem & scopum dicentis, sensum verborum, harmoniam hypothesium Reformati usitatæ, & alia conferimus, neuiquam hanc Reformatam affirmativam, juxta sensum Maccovianum, approbare possumus, quemadmodum ex seqq. apparebit, & jam ex dictis satis constabit.

4. Probat D. Maccovius suam affirmativam (1) Ex Ezech. XVI. 60. 61. ubi Deus promittit, se cum Ecclesia Israelitica facturum fœdus, & facturum omnia, quæ stipulatur in fœdere: Ergo conditionem stipulatam in fœdere novo præstat in fœderatis. R. (1) generaliter, ita conceditur totum, quia DEUS omnino præstat omnia, quæ faciunt ad fœderis vel inchoationem, vel consummationem. (2) Ezech. XVI. 60. 61. non agitur de fœdere cum Israelitis carnalibus, sed spiritualibus, adeoq; non tam de fœdere cum Israelitica, quam cum Christiana Ecclesia, de fœdere non tam Veteris, quam N. T. (3) Si locum istum accuratius adspicimus,prehendimus, quod magis Propheta loquatur de fœderis modo, respectu Novi Testamenti, quam de fœdere ipso, de quo loquitur quæstio. (4) Loci prophetici allegatio est rei ipsius explicatio, quia satis illustris est locus iste, nec eger proluxa declaratione: Sic autem inquit Propheta: Hæc dicit Dominus Deus: Et faciam tibi, sicut despexisti juramentum, ut irritum faceres pactum: & recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ, & suscitabo pactum sempiternum: & recordaberis viarum tuarum, & confunderis: cum receperis

CUM PRIMIS DE FOEDERE DEI.

peris sorores tuas, te majores, cum minoribus tuis, & dabo eas tibi in filias, sed non ex pacto tuo. Et suscitabo ego pactum meum tecum, & scies, quia Ego Dominus, ut recorderis & confundaris, & non sit tibi ultra aperire os, præ confusione tua, cum placatus tibi fuero in omnibus, quæ fecisti, ait Dominus Deus. Ex quibus apparet facillè, quod veræ pœnitentiæ hic conditio saltem introducatur, quæ soli DEO citra dubium appropriatur, tum ratione contritionis salutaris, quia DEUS per legem recordationem peccatorum, contritionem & confusionem cordium operatur, tum ratione fidei salutaris, quia DEUS simul veram fidem communicare dicitur, cum ipse solus faciat, ut sciamus, quod ipse sit Dominus, adeoq; solus etiam ipse præstat, ut nobis sit placatus, & peccator vere pœnitens remissionem peccatorum consequatur.

5. Instantiam huic argumento primo subjicit: *Agi de Ecclesia Israelitica, ubi foederi Evangelico nullus locus.* Respondet D. Maccovius: *Frustra hoc dici: nam si doctrina Evangelii fuit in V. T. fuit & foedus Evangelicum: ut enim, ubi lex, ibi foedus legale; sic ubi Evangelium, ibi foedus Evangelicum.* R. (1) hæc instantia non est nostra, sed Arminianorum & Socinianorum, adeoq; nec eam nostram facimus, nec quicquam prolixitatis hic adhibemus. (2) Si conferantur ea, quæ dicta sunt th. 4. num. 2. cum illis verbis, vanitas hujus instantiæ satis apparebit.

6. II. *Ex Ierem. XXXI. 32. 33. ubi Deus expresse dicit, se tale foedus initurum, quod non possent irritum reddere fideles. Ergo conditionem in illis implebit.* R. (1) quod justus, vel fidelis irritum possit reddere DEI pactum, illud universa scriptura tum V. tum N. T. documentis innumeris restatur; idem etiam status Ecclesiæ militantis, ut & experientia quotitiana confirmatum reddunt. Ipsa fidelium vita locuples ejus rei testis est. (2) Ipse Ieremias etiam in omnibus capitibus prophetiæ suæ contrarium probat, quemadmodum id ad oculum demonstrare possemus, si prolixius illam causam sistere vellemus. (3) aliud est, irritum reddere pactum Dei, eidem resistendo, & aliud, pacti conditionem

DE JUSTIFICATIONE,

adimplere: hoc non est *hominis*, sed *solius Dei*, quod verissimum: sed illud omnino multis modis hominibus competere potest; nam quot fere sunt peccata, tot irritandi pacti media suppetunt. (4) Omnia Prophetæ verba saltem loquuntur de *positiva*, vel *causali pacti constitutione*, quæ citra dubium DEO soli competit, nullo modo homini corrupto convenire potest, sed nec hoc denegatur hominibus, quod DEI pactum irritum reddere possint, nec hoc tribuitur DEO, quod absolute, vel immediate pactum, eju-que condiciones in hominibus implere velit. Plus igitur est in *conclusionè Maccoviana*, quam fuit in *probatione prophetica*.

7. Addit etiam huic argumento *instantiam*: DEum *promittere*, se *foedus pacturum*, & *perpetuo quidem*, si *ultra non discesserint à foedere*. Respondet D. Maccovius: *At iniqui sunt, qui non vident, foederis istius diversitatem in eo collocari, quod prius quidem irritum reddi potuit, posterius non reddatur.* R. (1) novit Maccovius, quod in DEO, vel respectu DEI nihil sit, præter æternum: non enim DEus, sed creatura patitur mutationem, unde foedus omne DEI, respectu DEI dicitur æternum. (2) Ex ipsis verbis manifestum, quod DEus conditionem adjecerit, nim. si non ultra discesserint à foedere: jam autem plerique foederatorum ultra discedunt à foedere. (3) Notum est, quod N. T. foedus, quoad œconomiam, in Ecclesia militante suum finem sit habiturum, quia Christus hoc regnum tradet Patri I. Cor. XV. 24. Ergo nec tale foedus N. T. simpliciter & omni respectu æternum. (4) Dist. inter *efficientiam absolutam*, & *ordinatam*; non secundum illam, sed hanc DEus, quod stipulatur, in nobis efficit, prout superius notavimus.

8. III. Ex Jerem. XXXII. 39. 40. Hic iterum Deus promittit se tale foedus facturum, ut etiam conditionem, quam stipulatur, promittat, se in ipsis effecturum: *indam, inquam, reverentiam meam animo ipsorum, ut non recedant à me.* R. (1) Certum est, quod Deus ratione *spiritualium bonorum*, & sic etiam ratione *foederis* in nobis efficiat & velle & perficere Phil. II. 13. sed hæc *efficientia* talis non est.

CUM PRIMIS DE FOEDERE DEI.

est, q̄ualis à Reformatis fingitur, nim. absoluta, respectu Electedorum tantum, nulla vero, respectu reproborum, quibus omnem veram efficientiam DEI communiter adimunt. (2) Dicta V. T. de novo Testamento loquentia, comparate sunt intelligenda, nim. quod non futurum sit ceremoniarum, quales in V. T. sed rerum, quas N. T. requirit, & quod gratia copiosior in N. T. futura sit. (3) Respiciunt etiam tales promissiones suo modo gloriam futuri seculi, ubi DEUS omnia in omnibus futurus est, quemadmodum non obscure ex hoc loco prophetiæ colligitur: *Et erunt mihi in propulum, & ego ero eis in DEUM, & dabo eis cor unum, & viam unam &c.*

9. Instantiam adjicit: *Si non abscesserint ultro.* Respondet D. Maccovius: *Exceptio non valet: Nam eo pacto explicanda erunt Prophetæ verba, faciam ut non recedant, si non recesserint: si vero in ipsorum potestate est, stare vel recedere, quorsum Deus hoc sibi tribuit; faciam ut non recedant.* R. (1) hic D. Maccovius evidentius errorem Reformatorum prodit, nim. quod gratia efficientiæ divini sit absoluta, irresistibilis, immediata &c. (2) Propheta loquitur de efficientia ex parte DEI, quid DEUS facere velit, non ex parte subjecti, quasi homines resistere non possint. (3) Falsum est, quod stare & recedere, sint ejusdem potestatis, & quod simul homini convenient: DEUS facit hominem stare, sed non facit recedere; homo potest recedere propter peccatum, sed non potest stare per liberum arbitrium.

10. Object. I. *Fœdus DEUS pepigit cum Abrahamo & posteris ejus, etiam Evangelicum. An hi defecere?* Respondet D. Maccovius: *Fecit DEUS cum Abrahamo & posteris ejus fœdus, non secundum carnem, sed secundum Spiritum: neq̄ enim omnes, qui secundum carnem ex Abrahamo sunt, sunt filii promissionis. Vid. Rom. 9. 8.* R. (1) fœdus Abrahami Gen. XVII. circumcisionis est. (2) Dist. inter jus & factum: de jure debuissent omnes esse filii promissionis, de facto tales esse noluerunt.

11. Instantia: *Certe in tota Scriptura V. T. fœdus hoc promittit DEUS cum gente Israelitica, & cum illis, qui secundum carnem ex Abrahamo propagati.* Respondet D. Maccovius: *Dato, sed*
sed

DE JUSTIFICAT. QUMPR. DE FOEDERE DEI.

sed adhuc argumentum manet. Vid. Rom. XI. 25. seq. R. (1) Apostolus ipse distingvit inter circumcisionem carnis & Spiritus: ad illam omnes, ad hanc actu fideles referendi. (2) Defectus operationis non est in causa, sed in subjecto, cum actio non tam recipiatur per modum agentis, quam recipientis.

12. Object. II. Cum Ecclesis istis, ad quas spiritus S. scribit Apoc. II. 7. fœdus inuit, & tamen posteri penitus defecerunt, ita ut ne reliquæ earum appareant. Respondet D. Maccovius: Fœderati ibi non defierunt esse fœderati, sed qui erant fœderati, mortui sunt, aut alio commigrarunt. R. (1) Si fœdus cum Ecclesiis inuit, sequitur, quod in omnibus quidem beneficia fœderis operari voluerit, non tamen omnes illam operationem receperint, cum nulla sit Ecclesia magna, quæ non habeat admixtos malos & hypocritas. (2) Hinc fuerunt fœderati non respectu applicationis, sed oblationis.


13. Instantia: At saltem posteri eorum erant in fœdere. Nam fœderis Evangelici status describitur Gen. XVII. Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Respondet D. Maccovius: ut ante: Non omnes, qui sunt filii carnis, sunt filii promissionis Rom. IX. R. (2) qui vivunt in Ecclesia, fœderati fiunt in infantia. (2) Ex parte Dei, pertinebat promissio ad omnes, sed non omnes eam admittebant.

14. Object. III. Heb. X. 9. Ubi dicunt, clare ostendi, quod à fœdere Evangelico aliquis deficiat, & conditionem, quam in hoc Deus stipulatur, non in omnibus efficiat, cum sanguine fœderis, per quem fuit sanctificatus, profanum duxit. Respondet D. Maccovius: dicitur sanctificatus καὶ δόξα, non καὶ ἀδύβεια. Instantia: Dicitur in textu, conculcari revera filium Dei. Respondet ipse; retorquendo, imo quia conculcavit, non fuit in fœdere Dei: qui vero sunt verè in fœdere, illi dantur Christo, quos nunquam ejicit foras. R. (1) Multa contra Maccovium ex h. l. possent urgeri, sed angustia pagellarum non admittit: Falsum autem quod omnes graves in Ecclesia peccatores καὶ δόξα saltem sanctificati fuerint. (2) Dist. inter ejectionem, & inter defectionem: Christus tales non ejicit, sed illi voluntarie deficiunt, DEIq; fœdus deserunt.

Quod Numen tantum cum sanctis icerit al-
mum

Fœdus, Calvinii pessima scripta docent.
Pessima scripta doces illa esse, simulq; refutas,
Monstrans, omneis quod fœdus id attineat.

Abraham Calovius, D.



Fœdus amoris erat, quo junxerat omnia Jovæ
Creationis munere.

Ast hoc majus erat venerandi fœdus amoris,
In Filio quod contigit.

Filius ipse DEI precioso sanguine fœdus
Salutis omnis contulit.

WEISELI pia verba facis de fœdere tanto,
Autor favéat his fœderis!

Johannes Deutschmann / D



Diviniore sedulæ quantum Tibi
Noctes parârint, optimis Sacræ libris,
Scientiæ, palæstra, quam teris pede,
Animosa pandit. Nempe, dum Patrium solum
Grandi sub iclu nutat, averlam malis

Mer.

Merfille mentem literis iuvat, gravi
Ne sub securi fortis incito gradu
Depressa tertam lambat. Aureos ubi
Sol rursus arvis Hungaris sparget dies,
Amplum laborum dulcius fructum metes.

*Politissimo Dn. WEISELIO Amico hono-
rando precipiti vena sund.*

*M. Georgius Fridericus Magnus,
Posonio-Hungarus.*

✻ 382 ✻ ✻ 382 ✻ ✻ 382 ✻ ✻ 382 ✻ ✻ 382 ✻ ✻ 382 ✻

Sonnet.

Was viel und langer Fleiß / was viel und langes schrei-
zen /

Was grosse Arbeit hat zu wegen je gebracht /
Was empfig man gethan bey Tag und auch bey Nacht /
Was man erworben sich durch stätig währends Sizen /
Das pfleget allzeit auch dein ders gethan zu nützen.
Dis wirst erfahren du / mein vielerfahrner Freund.
Ob gleich der Lohn und Kron sich was zu faumen scheint
Soll doch verdientes Lob denn an die Sternen blißen /
Wenn es der Himmel will. Dis wird ereignen sich
Aufs ehste. Fahr nur fort / wie du bisher o dich
Mit grossen Fleiß gelegt die Musen nur zu lieben.
Sie werden bringen dich da man den Lohn ertheilt /
Da man mit Kronen nur sich pfleget stets zu üben
Dahin in vollen Lauff auch jetzt dein Arbeit eilt.

*Dieses wenig setze hinzu seinem vorrihen Freunde
und Stuben-Gesellen*

*David Pfeiffer von St. Georgen aus Ungarn /
der N. S. B.*



05 A 201

ULB Halle


3


004 206 851



1077







39

I. N. J.

DISSERTATIO THEOLOGICA
ANTI-CALVINIANA

De

JUSTIFICATIONE

CUM PRIMIS DE FOEDE
RE DEI,

Quam
Σὺν τῷ Θεῷ καλῶμα
PRÆSIDE

VIRO
MAXIME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO
atq; EXCELLENTISSIMO

DNO. JOHANNĒ Deutſchmanni

Doctore Theologo consummatissimo, deq; Orthodox
Ecclesia longè meritissimo, in alma Leucorea Professore Publ. longè
celeberrimo, Alumnorum Electoralium EPHORO gravissimo,

DNO. Præceptore, Patrono ac Promotore suo sanctè eter-
numq; devenerando,

Publico eruditorum examini

proponit

CHRISTOPHORUS WEZGEE/

VViennâ Austrius.

A. Æ. C. clc lxxi. d. xv. Novembr.

Hora locoq; consuetis.

WITTEBERGÆ, Literis MICHAELIS MEYERI.